

ipsum consumere in actibus indifferentibus.

XXXV. Nec potest dici, quod sufficit facere illam actionem indifferentem propter commoditatem, vel utilitatem naturæ, ratione cujus nec est superfluum, nec malus ille actus, nec tamen est bonus, quia solum est propter bonum naturæ, non propter bonum morale. Quæ videtur esse doctrina Vazquez loco supra citato num. xxxviii, et aliorum.

XXXVI. Nam contra est, quia (ut jam supra ponderavimus) etiam de ista commoditate, vel utilitate naturæ ratio dictat, et potest esse bonum honestum, si moderate, et debite fiat, et propter bonum finem. Cum enim procedant isti actus a ratione, quia deliberate fiunt, utique ex intentione alicujus finis debent procedere, et consequenter non ita sunt propter bonum naturæ, quod excludant regulam moralem rationis, secundum quam regulari, et mensurari possunt, ut etiam advertit S. Thomas hic quæst. xviii, art. ix ad tertium. Unde etiam ludiosæ actiones, et risus, et recreatio corporis si fiat moderate est bonus, et reducibilis ad honestum finem virtutis, datur enim ad ludicras res moderate dispensandas virtus, quæ dicitur eutrapelia, de qua D. Thomas 2-2, quæst. clxviii, art. 1. Si autem in his, quæ deliberate fiunt ob commoditatem naturæ, vel recreationem corporis non sit debita mensura rationis, et finis debitus erit peccatum. Facere ergo illa sine debito fine, et mensura cum possis, est erogare, et prodigere multum meriti, et præmii cœlestis. Et nomine finis debiti intelligimus finem honestum, qui est debitus operanti. Si autem deliberate non fiat, non sunt actus humani.

COROLLARIA EX DICTIS.

XXXVII. Sequitur ex dictis quomodo censendum sit de sententia Scoti. Eam enim rejicimus, ex eo quod absolute fatetur dari actum indifferentem in individuo ex defectu finis honesti, et circumstantiarum, ita quod talis actus careat malitia, et bonitate morali. Nam Scotus expresse dicit se loqui de actu deliberato, et humano, ut patet in illa distinctione xli, §. Aliter, littera C. Omnis autem actus deliberatus, et a ratione ordinatus necessario debet oriri ab aliqua intentione finis, quia si fieret sine fine, esset a casu, et non deliberatus, nec humano modo factus. Quæ intentio finis non requiritur, quod sit actualis et expressa, sufficit quod sit virtualis et implicita. Ergo quando operatur voluntas aliquem actum ex genere, et objecto suo bonum, vel cogitat de fine illi apponendo, vel non cogitat, sed solum facit illum actum juxta naturam, et exigentiam ejus. Si omittit alium finem, et facit actum juxta naturam ejus, verbi gratia eleemosynam, aut restitutionem, hoc ipso ex fine recto, et honesto facit implicate, quia natura hujus actus de se finem honestum petit; et cum iste operetur ex intentione finis, quia deliberate ex humano modo operatur, si non cogitat actu de illo, necesse est, quod operetur ex implicito, et virtuali fine in ipsa natura actus imbitio, nisi contrariam voluntatem habuerit, et iste finis est honestus, sicque redditur actus non indifferentis, sed bonus; qui enim facit actum justitiæ, vel misericordiæ ex fine implicate in eo contento, et ad quem ex natura sua ordinatur, facit actum ex amore honesto, et non solum facit justa, sed juste.

XXXVIII. Si autem cogitat de fine præfigendo, et apponendo illi actui; vel est finis bonus in se, et honestus, et sic actus ex omni parte est bonus; vel est malus, et tunc vitiat actum ex objecto bonum, ut qui dat eleemosynam propter vanam gloriam: vel est indifferentis, ut qui dat eleemosynam ut levet festucam, vel ut sputum emittat sistendo ibi, et non ordinando id in ulteriorem finem, verbi gratia, in aliquam jocularium recreationem, vel aliquid simile; si enim ordinat in illam, et sit moderata recreatio, licet jocularis, erit virtuosa a virtute eutrapeliæ; si sit immoderata, et superflua, erit vitiosa. Si vero sistit in ipso actu, seu fine indifferenti sine alio ulteriori fine, verbi gratia, si quis det eleemosynam, aut restituat, solum ut alter sputum jaciatur, vel levet unam festucam, aut eat in campum, sistendo in hoc, tunc vel talis actus in se manet bonus in individuo, licet cum circumstantia finis indifferenti eo quod ex objecto est bonus, vel ille actus ex fine indifferenti manet in individuo indifferentis evacuata bonitate objecti in ipsa indifferentia finis. Si primum, jam non datur actus indifferentis in individuo, cum maneat bonus bonitate sumpta ab objecto, quæ moralis est, si quidem illam finis indifferentis non vitiat: si secundum, talis actus est malus, cum constet in illo ad minus vanitatem, et otiositatem intervenire, imo et prodigalitatem maximam, si quidem ille actus de se est bonus ex objecto, et de se saltem virtualiter, et implicate tendit ad bonum finem, et si suo proprio motivo fieret, hoc ipso maneret bonus, et meritorius si subjectum esset in gratia; per hoc autem quod apponatur ille finis indifferentis ita ineptus, vel ille actus manet bonus, vel evacuatur a bonitate, et merito. Si manet bonus, non est quæstio, jam

enim non est indifferentis in individuo. Si evacuatur a bonitate, hoc ipsum malum est, et otiosum, ac prodigum non solum facere actum sine fine rationabili, sed etiam evacuare ejus bonitatem, eamque perdere, et propter ineptum finem indifferentem tollere, et impedire meritum illius.

XXXIX. Certe si actum ex objecto indifferentem operari in individuo ex fine indifferenti ostendimus hoc ipso reddi otiosum, et malum, quanto magis in sententia Scoti malum esse debemus fateri, ubi non solum indifferentia ponitur, quam ex se actus habet, sed etiam bonitas ex objecto perditur, et evacuatur, ut indifferentia maneat? Multo ergo a fortiori currunt rationes factæ contra Scotum, qui introducere vult actum indifferentem in individuo, non solum adstruendo indifferentiam, sed etiam destruendo bonitatem, quod multo damnabiliorem reddit actum, et majus damnum facit.

XL. Sed quomodo, inquires, verum est, quod philosophus dicit nos multa justa agere non juste, quia non amore ipsius virtutis, et honestatis facimus, sed ex alio motivo; si autem non operamur amore virtutis non operamur virtuose, nec actus ille est bonus moraliter; ergo potest dari actus bonus ex objecto, nec tamen virtuosus, et moraliter bonus, sed indifferentis ex defectu illius finis, quia non amore virtutis fit. Nec tamen est peccatum, quia non tenetur quis ponere semper illum finem ex propria honestate virtutis: nec actus est malus, quia caret tali, vel tali bonitate, sed quia caret bonitate sibi debita, non est autem debitum ut omnis actus, qui a nobis fit referatur actualiter, vel virtualiter in bonum finem, et honestum, quia Deus ad hoc nos non obligavit. Et hoc est totum fundamentum Scoti distinctione illa xli.

XLI. Sed respondetur optime dici a philosopho, quod possumus justa facere non juste; tum, quia possumus opus ex objecto bonum facere ex malo fine, ut eleemosynam ex vana gloria, iudicium justum ex odio, et tunc actus non erit indifferens, sed malus; tum, quia possumus justa facere non eo modo quo fit ex habitu, scilicet delectabiliter, prompte, etc. et tunc actus ille est bonus, non indifferens, licet non sit virtuose quantum ad modum operandi, constat enim per tales actus posse generari habitum virtutis; ergo actus illi boni sunt. Quod autem possimus justa facere ex fine indifferenti sublata bonitate actus, et non introducta malitia, sed sola indifferentia, est impossibile, ut ponderatum est.

XLII. Et cum dicitur non teneri aliquem, bonum finem ponere, negamus hoc; tenetur enim non agere superflue, et otiose, et denegando actibus bonam intentionem, et meritum, et multo minus eam, quæ illis convenit ex objecto destruere, et evacuare, reddendo actum pure indifferentem. Quod autem bonitas sit debita actui, constat, quia hoc ipso quod est deliberatus, convenit sibi regulari per regulas rationis, nam et ipsi actui malo ex ea parte qua liber est, debetur sibi rectitudo, quæ si tollatur, est privatio et malum. Quod vero Deus nos obliget apponere finem honestum omni actui, constat ex illo præcepto Apostoli: *Omnia in gloriam Dei facite*, etiam actus de se indifferentes, ut manducare, et bibere, ut in solutione ad primum ponderabimus. Quod saltem de relatione in finem virtuali intelligitur, nam habitualis cum peccato veniali salvatur, quod tamen in gloriam Dei non est referibile.

XLIII. Colligitur secundo contra alias sententias, quæ ponunt actum

indifferentem per accidens, et pro aliquo casu, quod attinet ad illos, qui ponunt actum indifferentem dari in individuo, quia excusatur ne referatur in Deum, aut Deus indulget si non referatur, præsertim si sint actiones valde minutæ, dicimus æquivocari has sententias in eo quod ponunt excusari aliquando si non referantur in finem. Referrunt enim in finem stat dupliciter, vel actu et expresse, vel implicite et virtualiter. Expresse et formaliter non obligat Deus, ut semper referantur in bonum finem, sed ex hoc non redditur actus malus, aut indifferens, eo quod actu non referatur in Deum; sufficit quod virtualiter et implicite. Ad hoc autem ut saltem implicite referatur in Deum omnis actus humanus, obligat Deus, quia ad hoc sufficit habere bonam intentionem, aut saltem intentionem operandi omni meliori modo quo possit, aut habere actum non retractatum, quo se, et omnia sua referat in Deum, aut in finem honestum. Quo actu omnes etiam minimæ actiones comprehenduntur. Nec ad hoc est major imbecillitas in natura, quam sit ad procurandam justificationem, et actum charitatis, et bonam intentionem, vel finem honestum, aut ad habendum desiderium implendæ legis. Ad quos actus nulla natura est ita aggravata, aut infirma, quod cum gratia Dei non possit id habere, et consequenter omnibus actibus præbere bonum finem. Non ergo ex indulgentia Dei tollitur, quod aliquas actiones non referamus in finem honestum, cum præceptum sit, quod omnia in gloriam Dei faciamus.

XLIV. Quod vero attinet ad casum patris Vazquez pro quo admittit actum indifferentem, scilicet pro casu, quo aliquis invincibilem ignorantiam habeat de referendo actum in bonum finem, aut velit uti pro-

babili opinione Scoti de apponendo fine indifferenti, dico quod non potest dari ignorantia probabilis, aut invincibilis non referendi actus suos in finem, sive virtualiter, sive formaliter, quia ad referendum virtualiter et implicite sufficit notitia illa in communi faciendi bonum, et declinandi a malo, qua nullus qui venit ad usum rationis caret, et utique bonum illud honestum, et morale esse debet, utpote faciendum ab homine. Per hoc ergo quod homo sciat facere bonum practice non laborat ignorantia invincibili in non referendo actus suos virtualiter, et implicite in Deum, quia sufficit illa scientia, ut omnes in Deum referantur, dum non habeat contrariam voluntatem. Ad referendum autem actualiter, et expresse istum, vel illum actum in Deum poterit dari inadvertentia, vel ignorantia invincibilis, sed hoc non requiritur ut actus sit bonus, et non maneat indifferens. De eo autem qui velit uti opinione Scoti ut probabili et sic elicere actum indifferentem, dicemus infra in solutione argumentorum, quod si aliquis utitur illa opinione ut probabili practice, hoc ipso utitur dictamine prudenti ductus aliqua pia utilitate, vel necessitate, ratione ejus formet probabile, seu prudens dictamen. Non manente autem dictamine indifferente, sed prudente, ille actus erit virtutis, quia est ex prudentia, quantumcumque sibi indifferens videatur, ut dicemus.

XLIV. Colligitur tertio, quomodo actus facti ob commoditatem, vel utilitatem naturæ non sint indifferentes, ut docet S. Thomas quæstione hac xviii, artic. ix ad tertium. Etenim ipsa commoditas naturæ est quoddam bonum corporis, seu temporale bonum ordinabile ad bonum spirituale, et ad bonum rationis, si quidem de eo habet ipsa ratio dictare, et ordinare, si quidem de

his quæ ad corpus pertinent etiam ratio ordinat, humano enim modo fiunt, et a ratione regulantur. Unde dicitur ad Roman. xii: *Ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, placentem Deo, rationabile obsequium vestrum*. Ergo commoditas corporis, et naturæ potest ordinari a virtute, et in obsequium Dei, non minus quam aliæ actiones indifferentes, ut ire in campum, dormire, comedere, spuere, etc. omnia enim hæc aliquam habent commoditatem naturæ. Ergo si deliberate fiunt, ex aliqua intentione finis fiunt, et consequenter currit eadem ratio de istis, atque de aliis actionibus indifferentibus, quam hucusque fecimus. Nec aliquid speciale additur, dicendo quod fit in commoditatem naturæ, cum hæc commoditas naturæ non sit minus indifferens, nec minus regulabilis a ratione, quam reliquæ actiones indifferentes; ergo si tenetur homo istas actiones facere ob rectum finem, etiam illas quæ sunt ob commoditatem naturæ tenebitur sic facere, si deliberate, et humano modo eas facit.

XLV. Dices: Hæc opera nec bona sunt, nec mala. Non bona, quia non fiunt propter honestatem ipsam virtutis, sed ob solam commoditatem naturæ, ut sunt multæ actiones, quæ solum naturam relevant, ut spuere, aut quælibet purgamenta egerere, in quibus nulla honestas reperitur, neque ob id dicitur aliquis laude dignus, nec talibus actionibus mereri aliquod præmium; quomodo enim dicetur aliquis mereri ex eo quod sputum, aut aliud purgamentum corporis emittat, licet libere id faciat? Unde neque ista sunt materia voti, aut juramenti, quod essent, si actus virtutis, seu moraliter boni essent. Nec etiam sunt mala, nisi aliqua mala circumstantia eis apponatur, quia nullus judicat esse materiam confessionis,

nec ea explicat in particulari, quod tamen posset facere si essent peccata hoc ipso quod fiunt sine appositione finis, sed cum sua indifferentia.

XLVI. Respondetur hos actus si sint totaliter in nostra potestate etiam posse esse bonos moraliter, et meritorios, et ex honestate virtutis, non intrinsece ex objecto, sed extrinsece ex fine, et circumstantia, quæ tamen transit in conditionem objecti. Nam et comedere, et bibere, et cubare, et loqui, et ambulare fiunt in commoditatem, et recreationem corporis, et possunt fieri virtuose, aut vitiose, quia totaliter libere fiunt. Si vero totaliter non sint in potestate nostra, sicut aliquorum purgamentorum emissio, quæ quandoque urgente natura fiunt, nec ad id liberæ actiones multum operantur, pro ea parte qua a libertate non pendent non possunt bonæ, aut malæ reddi, sed solum illas actiones liberæ quibus adjuvatur in his rebus natura, ratio diriget, et bene vel male faciet. Tunc enim illæ actiones liberæ, quibus naturæ succurrimus se habent ad modum fomenti, aut medicamenti, aut cujuscumque adjumenti naturæ, quibus ei succurrere virtuosum, et bonum est, licet non sit de majoribus, et perfectioribus virtutibus, est tamen virtuosum, quatenus ea quæ sunt ad sustentationem, vel quietem corporis ad bonum virtutis ordinantur in eo, qui corpus suum ordinat ad bonum virtutis. Nec oportet singulas istas actiones actualiter ordinare in bonum finem, sufficit virtualiter, et simpliciter, quando aliquis per temperantiam, et modestiam aliasque virtutes potentiales temperantia, ordinat de his quæ pertinent ad corpus suum, et ad ejus sustentationem, et commoditatem, aut quietem, aut ornatum.

XLVII. Quare dicimus, quod istæ

actiones, quæ vocantur in commoditatem naturæ, licet ex se, et ex objecto suo præcise non sint bonæ, aut malæ, sunt tamen capaces, ut honeste, et bene fiant, sicut etiam in ipsis actionibus verecundis honeste se gerere, non est sola commoditas naturæ, sed honestas virtutis. Licet enim egerere alvum, emitere urinam, sputum jacere solum de se sit commoditas naturæ, tamen facere omnia illa honeste, et verecunde, et non brutali, aut grosso modo, ad honestatem pertinet virtutis: *Nam quæ inhonesta sunt nostra abundantiorum honestatem habent*, ut inquit Apostolus I ad Corinth. XII. Ergo actiones istæ etiam propter honestatem virtutis fieri possunt, si non ex se, saltem in modo, et circumstantiis, quibus fiunt. E contra vero possunt fieri peccaminose, vel si careant ista honestate, vel si nullo bono fine vestiantur, sed tantum cum sua indifferentia, et ob illam fiant. Nec obstat, quod homines non confiteantur de his minutatim, et expresse, quia sufficit confiteri de ipsa otiositate actionum, quando deliberate fiunt, et sine bono fine.

XLVIII. Quod vero Vazquez instat, non esse quæstionem, an sufficiat explicare hoc in communi, sed quod possent homines sigillatim de istis actionibus se accusare, quod tamen non faciunt, dico hoc parvi esse momenti; possunt enim, si velint, etiam sigillatim id explicare, quod tales, aut tot actiones fecerint otiose, et sine bono fine. Sed quia id morosum est, et non necessarium dummodo de otiositate confiteantur, non est exigendum ut id faciant, neque in praxim deducendum, quia aliquando non nisi indecentibus verbis explicatur, si ita minutatim explicetur.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XLIX. Primo arguitur argumento D. Thomæ in hoc articulo nono, argumento primo quod Vazquez pro fundamento adducit disp. LII, c. IV: Datur actus specie sua indifferentis secundum D. Thomam seu species indifferentiæ moralis: sed non potest dari aliqua species, cujus nullum sit possibile individuum; ergo si datur species indifferentiæ, debet dari actus indifferentis in individuo. Majorem nos admittimus, et minor negari non potest, cum omnis species prædicabilis sit de individuis: nec erit vera species si in rerum natura dari non potest: dari autem non potest, nisi in aliquo individuo. Quod confirmatur, quia quod convenit ratione speciei, non potest tolli per aliquid superveniens, nisi specie ipsa destructa; indifferentia autem est vera species moralis (ut nos admittimus, et supra ostendimus) ergo si dantur aliqui actus ex specie sua indifferentes, non possunt per individuationem destrui, nisi specie ipsa ablata. Ablata autem specie, jam ista individuatione non erit individuatione talis speciei, nec potest esse vera, et propria species illa, quæ per individuationem destruitur.

L. Non placet hoc fundamentum Vazquez discipulis Scoti, et revera Scotus non fundavit in hac ratione suam sententiam. Dicunt enim recentiores quidam Scotistæ, hanc rationem facile solvi concedendo dari actum indifferentem in individuo ex parte objecti, bonum tamen, aut malum ex circumstantia, et sic non datur actus indifferentis, qui maneat in statu indifferentiæ, bene tamen qui reddatur bonus, aut malus in individuo. Quæstio autem præsens non est, an detur in indi-

viduo actus, qui sit indifferentis quantum est ex parte objecti, bonus autem vel malus ex circumstantia, et fine; sed quæstio est, an detur actus in individuo ita retinens indifferentiam, quod non solum ex parte objecti, sed etiam ex parte finis, et circumstantiarum maneat indifferentis, eo quod non tenetur, quis apponere semper bonum, et honestum finem actui, quem exercet.

LI. Nihilominus possumus contra istam solutionem adhuc urgere rationem Vazquez, quia quando ille actus redditur bonus, aut malus ex fine, et circumstantia in individuo, illa malitia vitiat totum actum, et illa bonitas reddit bonum, nec relinquit in sua in differentia, sed transit finis, et circumstantia in conditionem objecti; ergo destruit speciem illam, quæ est ex objecto, si quidem facit transire in aliam speciem boni, vel mali, vitiando speciem ipsam: si enim qui dat eleemosynam ex vana gloria destruit bonitatem moralem eleemosynæ per illum finem vanitatis, multo a fortiori per eandem vanam gloriam destruet indifferentiam actus, ut si quis verbi gratia eat in campum ex fine vanæ ostentationis, ille actus eundi non manet indifferentis, sed malus, sicut illa eleemosyna ex vana gloria non manet eleemosyna, sed actus malus. Ergo nunquam datur species indifferentiæ moralis in re, si quidem non potest dari nisi individuatione per bonum, aut malum, alias esset totaliter indifferentis in individuo. Hoc ipso autem, quod ponitur bonum, et malum in re, destruitur species indifferentiæ; ergo indifferentia est quædam species, cui repugnat individuari, si quidem per individuationem destruitur, et fit bona, vel mala. Species autem cui repugnat individuari, vera et propria species non est, sed ficta.